



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídq̄ue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus XXX. De Mendacio. Christianum Mendacem offendere Naturam
simul, Rationem & Fidem; propterea quòd tam rebellis sit lumini, quo illius
Animam quælibet harum illustrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

ora vagatum sic autum videt, ut familias integras vastet, tot sinistris tumoribus & loquacitate vanissimâ oppressas.

XXXII. Si porro irreparabile damnum est, quod Proximus patitur, quomodo, quod vobis ipsis creatis, resarcietur? Et Charitas & Justitia, à vobis tam malè habitæ vindictam semper magnis clamoribus reperent: *sic casus insanabilis ad mortem.* Mortem hanc timere sibi debet anima vestra, si alijs tantum inferit nocementi: credere potest se ex numero esse infe-

licium illorum papilionum, qui dum lucernam extinguunt, seipso comburunt. Non ita sit posthac, Auditores charissimi, attendite diligenter: nimum quantum gravis jactura est exponere Animam periculo morbi & valetudinis valde ancipitis, licet denique sanitatem recuperet: quid erit iugitur, si agatur de morbo non periculoso tantum, sed de morbo, qualis est, de quo agimus, plerumque insanabili? *Attende, ne fortè labaris in linguâ, & cadas, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

DISCURSUS XXX.

De Mendacio.



Inter diversa supplicia, quibus variæ Republicæ Mendacium mutare solitæ sunt, illud præ ceteris mysterio plenius esse videtur, quo Arraxerxes, sapientissimus Persarum Rex, hanc noxam vindicabat: tribus enim stylis suam mendacibus linguam perforari jubebat. Non miror Reges Persas magnopere exosos fuisse omne mendacium, cum constet, antiquo illius Aulæ more receptum fuisse, ut summo studio eorum filijs inculcarentur non à Disciplinarum tantum, sed etiam Morum Magistris ac Præfectis, nequid unquam veritati dissentaneum loquerentur. Quid autem tria illa vulnera, quibus mendacem lin-

guam castigabant, significant, non perinde assequor: neque operæ pretium censeo, multum in eâ re pervestigandâ laborare: unum potius aliquod, quod triplici illâ plagâ portenderetur, arcanum supponam arbitrio meo; quod si verè à Persis significatum non est, par tamen fuit, ut significaretur. Digna enim verò est cujuslibet mendacis lingua perossione triplici, ut triplex plaga respondeat offensæ, quâ, qui mentitur, offendit Naturam, Rationem, Fidem. Atque circa hanc materiam hodiernus meus Discursus versabitur, cujus verba opto, ut plûs quàm unquam non viva modò, sed penetrantia sint, ut transfodiant, si non linguam nocentem, animum saltem eorum, qui me audituri convenerunt.

II. Pri-

II. Priusquam tamen ad transfigendum accedam, dicendum prius; in tres
 3. Tho. species Mendacium à Doctoribus ple-
 2. 2. 9. rümque distingui, quas desumere pla-
 110. a. cuit ex triplici illo fine, quo quis ad
 2. mentiendum potest induci. In primâ
 specie Mendacium est, quod officio-
 sum appellant; estque id, quod alicujus
 utilitatis, propriæ aut alienæ, cau-
 sâ profertur. Alterum constituit Men-
 dacium jocosum, cum scilicet animi
 tantum causâ, & quia ita lubet, falsum
 sciens quis loquitur: Tertium est Men-
 dacium, quod Damnosum dicunt; cum
 scilicet mentiendo vel bonum
 proximi, vel Dei honorem quis lædit.
 Sicut autem non omnes serpentes per-
 inde noxij & venenati sunt, ita non est
 æqualis mendaciorum omnium malitia.
 Mendacium officiosum malum
 est; quia cum sit offensa Dei, conse-
 quens est, majus malum esse, quàm sit
 totius hujus Mundi interitus. Plus in
 se malitiæ Mendacium jocosum con-
 tiner; quia cum & ipsum Dei offensa
 sit, sine tamen & motivo levio-
 re profertur. Omnium deterrimum est men-
 dacium damnosum, cum non solum
 mendacij rationem contineat, sed,
 contrâ quam alia, etiam noceat: ita ut
 si, quod sæpe fit, juramento firmeretur,
 videatur humana lingua non aliud no-
 centibus posse venenû evomere. Qua-
 propter, quæ hodie dicturus sum, etsi
 de omnibus Mendacijs accipi debent,
 non tamen de omnibus eodem modo,
 sed proportione quadam, sicut quod
 unum quodque ex genere suo & sua-
 pre naturâ funestius est, hoc ab illo
 magis abhorreere debeatis.

III. Nunc ut ad primam meam as-
 sertionem redeam, dubitari nequit,
 quin omnis mendax Naturam offenda-
 dat: hæc enim in operibus & actioni-
 bus suis fallit nunquam; cum tamen
 mendax id unum agat, ut fallat, tan-
 quam degenerantæ matris filius. Vix
 satis quis explicaverit, quantum Natura,
 nostri studiosissima, conetur, ut
 verum semper nobis loquatur. Cum
 rerum substantias intimas cognoscere
 non possimus, ut in se sunt, quid agit?
 manifestat nobis illas per accidentia,
 quæ dicimus, quibus ut vestibibus in-
 volvuntur: nec tamen unquam nos
 decipit, sic ut cum unus aliquis sensus
 hallucinando falsum nobis nuntiat,
 vult ipsa, ut alter prioris deceptionem
 corrigendo, verum citra controversiam
 dicat. Ita cum oculus remum in
 aquis contemplatus curvum illum aut
 fractum refert, mox tactus oculi erro-
 rem detegit, & remum rectum esse ac
 integrum demonstrat. Et quamquam
 facultates nostræ sensitivæ omnes
 conspirarent, ut mendacium nuntio-
 rum partes agerent, Mentem tamen
 Natura nobis dedit ad detegendos ra-
 tiocinando sensuum errores sufficien-
 tissimam. Hinc fit, ut de illâ curâ, quam
 habet Natura, ne in errorem & dece-
 ptionem inducamur, certi, non dubi-
 temus etiam judicium ferre de caelesti-
 bus substantijs, earumque virtute oc-
 cultâ, licet tanto à nobis intervallo re-
 motis. Sic sanguineus ille Martis co-
 lor facit, ut turbas & strages suspice-
 mur: Saturni verò color plumbeus
 metum in nobis excitat malefici ejus
 sideris influxus; cum Jovis ac Vene-
 ris,

ris candida & amena lux fausta ac benigna prælagire jubeant: & sic tum de singulis ceteris Planeris, tum de fixis, & tantò altiùs à Terræ gloriæ oberrantibus Stellis differere possumus. Unde, si quod res est, dicere volumus, non aliud est homo hoc in Mundo; quàm discipulus, cui, quoquo se verrat, Natura aliquam veritatem velut prælegendo tradat. Sed, quod dolendum, discipulus est adeò indocilis, adeò Disciplinarum non capax, ut in Scholâ Veritatis non aliud faciliùs, & meliùs discat, quàm quomodo novas

Jerem. fraudes texat. Docuerunt linguam suam loqui mendacium.

IV. Neque verò necesse est homini vagari per alia, ut documentum hoc, dicendi verum, capiat; cum Natura illud nobis ratione quadam profusus singulari in structurâ & fabricâ humani corporis demonstrat. Observârunt nonnulli, duos esse in lingua nervos, quorum altero cum cerebro, altero cum corde connectatur: quâ re Natura docere voluisse videtur, quem ob finem nobis de tam præstanti instrumento prospexerit: qui alius non est, quàm ut intelligamus, linguâ eodem tempore cum utraque hac facultate omnino concordem esse debere, sic quidem ut cerebri beneficio prudenter, cordis verò ope sincerè loquatur. Quapropter qui mentitur, dubio procul linguâ aburitur, & indignus est, cujus os tam nobili organo instructum sit; haud aliter ac eâ indignus esset, cui non serviret nisi ad mugiendû cum tauris, latrandum cum canibus, aut grunniendum cum porcis. Omnes

R. P. Segneri Christ. Inst. Tom. 4.

proin certissimò in animum inducant, haud quaquam permissum esse homini, linguâ suâ pro arbitrio uti, ut eâ utitur Phœtacus: sic enim illâ utendo naturæ ordinem confundimus, & turbamus sublimes illius fines, nostrâ culpâ non inutile modò, sed & noxium efficiendo admirabile vocis artificium. Id quod artifex in machinæ horologæ indice conficiendo spectat, est, ut iste cum fide loquatur foris, quidquid intus rotæ in bonum aliorum velut meditata sunt. Pari ratione Natura in formanda lingua unicè spectavit, ut hujus organi ope sincerè & sine furo animi nostri senta manifestemus. Quapropter sicut Index mendax artificem suum dehonestat, ita lingua mendax hominis loquentis privatim perinde ac publicè Naturam offendit.

V. Atque hoc tantò ampliùs, quòd hæc Naturæ illata injuriâ etiam in Rationem redundet, quâ illa tota nititur. Non suâ tantùm causâ, aut bono conditus est homo; sed etiam aliorum. *Nemo sibi soli natus est, ac* *S. The.* proinde quidquid valde repugnat bono commercij & societatis humanæ, *2. 2. q. 109. ar. 3. ad 1.* necesse est fateri, quod etiam magno perepugnet restæ Rationi, quæ hominis propria est. Hæc autem si ita se habent, perpendite, quid magis adversari huic commercio possit, quàm Mendacium. Sanè, etsi plurimùm mutuo inter populos commercio officiat moneta adulterata, plus tamen detrimenti ex abusu sermonis redundat. Et tamen, qui ne assem quidem adulterinum in crumena sua patereantur,

H h h

illi

illi ipsi omnem in id solertiam atque industriam conferunt, ut fraudibus plenum animum habeant, quibus Proximum circumveniant, illumque miserè deludant: ex quo abundè constat, quàm Mundo huic exiguo in pretio sit veritas, quæ si tanti fieret, quanti sit aurum, Mendacij crimen acerbioribus supplicijs vindicaretur, quàm crimen pecunias adulterantium; essentque referti ijs publici carceres, qui modò majori numero Principum Palatia, quàm rusticas casas inhabitant. Quid, quæso, nobis futurum esset, interrogat S. Joannes Chryostomus, si membrum nostri corporis unum alteri mentiretur? si oculus diceret manui, flores esse carbones, & carbones flores: si diceret pedi, scorpiones esse formicas, & formicas scorpiones; si diceret palato cibum esse venenum, & venenum cibum? an non miserima esset nostra conditio, & non semel tantùm quotidie mori necesse esset? Sic autem proportionem quadam Mendaces rerum ordinem in Republica turbant, quæ est quoddam corpus mysticum, tot constans membris, quot sunt homines, ex quibus illa conflatur. Unde hortatur

Eph. 4. Apostolus: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum Proximo suo, quoniam estis invicem membra.* Atque hoc tantum momenti est, ut meritò ad perpetuum silentium impostores mendacissimi damnari deberent, *Muta fiant labia dolosa.* Verè enim quod adulterium conjugis, hoc humanæ societati mendacium est: Perfidia est summè noxia: unde par

Hom.
13. in
Epist.
ad Eph.

Eph. 4. Apostolus: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum Proximo suo, quoniam estis invicem membra.* Atque hoc tantum momenti est, ut meritò ad perpetuum silentium impostores mendacissimi damnari deberent, *Muta fiant labia dolosa.* Verè enim quod adulterium conjugis, hoc humanæ societati mendacium est: Perfidia est summè noxia: unde par

Pf. 30.
19.

esset, veritatis amantes à falsiloquis eterno divortio seungi, ut ab adultero Sponsa iupiter dolosa separatur. Sed major jam est numerus adulterantium veritatem, quàm ut huic divortio sit locus: urbes ac oppida in solitudines abirent, si mendacibus omnibus esset migrandum. Interim negare non possumus, quin, ut unus nummus sincerus ac probus plus valet, quàm centum adulterini, ita vitæ probus & Veritatis amans pluris, quàm centum mendaces, sit æstimandus; nec illimet id diffiteri possunt, quibus tamen veritas rarè in linguâ est. Non est major contumelia, quàm si quis in faciem alteri dicat: *Mentiris.* Confestim ad arma curritur, eorumque ope hæc propugnatur sententia; minus malum esse plagam etiam lethalem, quàm Mendacium nullo injuriæ sensu toleratum. Videte proin stupendam hodie morum perversitatem, dum tam anxie curamus, ne unquam arguamur illius perfidiæ, quæ nos quotidie obstringere pensi non habemus.

VI. Contemplati sumus hætenus mendacem tanquam rebellem Naturæ ac Rationi: Naturæ quidem, ut ejus opus est, Rationi, ut homo est. Nunc momenta rationis firmiora adversus mendaces investigemus, demonstrando illos etiam Fidei rebelles esse, ut sunt Christiani. Quæro ex vobis: quis omnium primus in Mundo mentitus est? nunquid Diabolus, quando eâ arte primam feminam in fraudem impulit? non ignota vobis res est. Non alium ergo Mendaces

10.8.
44.
Tract.
41. in
Ioann.

daces, quàm Diabolum, Magistrum habuerunt; & sanè ille eà in arte Magister est &: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, ut ipsa Veritas ait, cum homo mentiendo tanquam Discipulus alterius ore loquatur. Nam quod dicis mendacium, inquit Hipponensis Præsul, a Diabolo accepisti. Prototypon monstri hujus in linguâ Diaboli est; estypon in linguâ hominis Christiani. Observare autem & modum, quo hæc cordis & oris dissonantia tam execrabilis in Mundum inventa est. Tam illa scæda est atque deformis, ut Dæmon eam aperta fronte proferre non sustinuerit: figuram serpentis induit. *Serpens deceptit me*: miro Dei consilio, qui eo facto docere voluit, quàm venenata & pestilens Mundo sit illa primi falsitatis Magistrum doctrina. Et istud unum non sufficiat, Auditores, ad horrorè vobis incuriendum? His tamen graviora superunt. Dæmon non Magister tantum mendacij, sed & Pater est. *Mendax est, & Pater mendacij*, & quidem generatione horribili, cum sit è diametro opposita Generationi æternæ primæ Veritatis. *Quomodo Dem Pater genuit Filium Veritatem; sic Diabolus lapsus genuit filium Mendacium*, pergit S. Augustinus. Hinc medio mendacio Mendaces tam arcto cognationis vinculo obstringuntur Lucifero, ut in ejus jus transfisse, & toti ejus esse videantur: id quod ingenti deberet esse incitamento ad veritatem absque ullo fuco semper dicendam, ne quidquam cum maledicto hoc Patre commune habeamus. *Cavete, fra-*

70.8.
44.

tres, mendacium, monebat S. Ambrosius, quia omnes, qui amant mendacium, filij sunt Diaboli. Leonem ajunt nullius belluæ carni tam avidè inhærere, quàm simiæ, ut quâ devoratâ febriles illos suos ardores, quos quarto quoque die constanter patitur, mitiget: è diverso à nullo animali aded abhorret, quàm à gallo, cujus solo conspectu in fugam agitur, maximè si gallus ille plumis sit albicantibus, ut S. Ambrosius observavit. Haud aliter profectò homines isti aut ficti, aut ad fingendum apti nari, quorum symbolum sunt Simiæ, lectissimus stygij Leonis cibus sunt, ejusque ingluviem insatiabilem quoque modo explent: si quos è diverso timeret ac fugit, non alij profectò illi sunt, quàm Veritatis sincerè studiosi, quorum imago gallus est, Gregorio Magno attestante; hic siquidem & horas stabiles, & tempestatum mutationes fide semper optimâ nunciat, & cantu suo indicat.

VII. At Deus tanto in veritatem studio fertur & amore, ut ad eam ignorantia Mando manifestandam grande illud iter peregerit è Cælo in Terras, & ex Throno Majestatis suæ ac Gloriæ ad opprobrium Crucis suæ. *Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati*. Unde mirum non est, mendacium in ejus oculis tam scædum ac monstruosum esse; ut sæpius in SS. Paginis Peccatum mendacij nomine compelleretur, Peccatores verò mendaces; perinde ac si inter ista discriminis nihil intercederet. Nes id temerè, sed gravissimis

Lib. de
Abrab.

S. Am-
bros. l.
5. Hex-
am. a-
pud Sa-
laz. ar.
c. 10.
Prov.
n. 74.

Jo. 18.
17.

ex causis: nam si rem aliquantò solertius examinare libeat, deprehendemus, nullum esse Peccati genus, quod non aliquo modo Mendacio ut parte sanè exitiali constituatur, ut sic mistum illud teterrimum duplici veneno pestilentiùs noceat. Et imprimis quidem quisquis peccat, sibi metipso mentiur: *Mentira est iniquitas* sibi: cum sibi prosperitatem ex peccato spondeat, quod reapse malorum omnium maximum, & caput est: & sic impio cuiuis occini potest id, quod Daniel senibus illis mœchis & calumniatoribus: *Rectè mentitus es in caput tuum*: cum nullum omnino peccatum sit, quod ex se natum non sit ad perniciem maximam in ipsius delinquentis, caput regerendam. Præterea prima ferè noxa, quæ se parvuli obstringant, Mendacium esse solet: & idcirco, ut natura de lacte Matris tum prospicit, cum vicina est partui, ita & Dæmon facere velle videtur tanquam naturæ simia: priùs enim quàm voluntas humana turpissimum peccati abortum in lucem edat, prospicit illi de lacte hoc venenato Mendacij, quo natus educetur. An non cernitis furta, fornicationes, adulteria, perjuriam, fraudes, homicidia, & quidquid uspiam abominabile humanus animus parturit, Mendacio sustentari? hoc crescunt, hoc se conservant, & multorum annorum ætatem ferunt: cum sine Mendacio vix essent ephemera. Mendacio delinquentes, tanquam Gygis annulo, observantium oculis se subducunt: & quamquam fures sint nunc auri, nunc

honestatis, tam securi incedunt perinde, ac si forent custodes: & quamvis Lupi, Pastores tamen creduntur. Fingamus Mendacium toto Mundo expelli & eijci: cum ipso scelera migrarent cetera, quæ absque hac propria sibi larvâ vivere diu præ pudore non possent. Nonnunquam, cum non reperiretur carnifex, qui reis meritam necem & supplicia inferret, permitti oportuit, ut quis larvâ reatus tristi ministerio fungeretur, eaque conditione admittâ plures inventi sunt, qui istud non abnuerent, cum omnes ab eo refugerent, quamdiu operiendi vultus gratia facta non erat: sic illimer, qui cogniti & apertâ fronte erubescerent, actus aliquos turpes; Mendacij larvâ velati, nullo jam metu eosdem perpetrant. Videtur proinde mihi Mendacium in Mundo illo fungi ministerio, quod in Republica aliqua peragit, apud quem latrones ac grassatores publici aylum inveniunt: dum enim eos Libertorum ac Satellitum indagini subducit, dum eos hospitio occultè accipit, dum ijs de necessarijs prospicit, alique, dum eorum furta, rapinas ac cædes versurè occultit, foratur ipse ac mactat non duabus tantum manibus, ut fures ac latrones ipsi, sed manibus omnium, quoscunque ille sic juvat & regit.

VIII. Atque hanc fuisse causam existimo, ob quam Tertullianus acurè Mendacium appellavit *Ministrum cupiditatis*. Quidquid enim in animo humano est affectuum & appetituum perverforum, Mendacij ut

manibus

Ps. 26.
18.

Dan.
13. 55.

Pro
30.

Lib. de
Idol. 6.

11.

manibus pedibusque ad perpetrandum omne malum, ad quod aspirant, utuntur. Castigat Mater Filiam, quod licentiùs agat cum impudente aliquo, & ne in tenebris quidem cum eo versari erubescat, *absit hoc*, inquit confestim astuta, *male feriata lingua sunt, quæ ista de me spargunt; à malevolis & invidis sunt excogitata, falsa sunt omnia.* Quin & Deus in teftem vocatur, nec execrationibus parcitur. *Comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum.* Sic & adulter ille (spud quem conjux, iusto Zelo irritata, quod nimium crebro illum certas ædes frequentantem viderit, accerbè queritur) miratur querelarum causam, sanctèque asserit, se cum allarum ædium in quibus diebus non operarijs animi duntaxat causâ colloqui, festum rotius hebdomadæ laboribus. An echinum non observastis? qui ad furandum poma & quatuor pedibus, & ore multis dentibus armato instructus est: sed quamprimùm strepitus aliquis Venatorum canumque auditur, jam ille nihil est, nisi pila acutissimis spinis aspera; non pedes, non os, non dentes videntur; sed ne halitus quidem percipitur, ita totum se intra se colligit. Simile quid in Peccatoribus notare licebit: toti in se, ut in centrum, se contrahunt; & armati involuti que spinis mille excusationum & effugiorum, ab omni noxa puri ac innocentes apparent: quis interrim animos illis addit, quis juvat, quis vires & robur subministrat ad tot nova scelera perpetranda, quam Mendacium?

Minister cupiditatis. Huius Administri fraudibus verita indies continuantur commercia, lascivarum turpitudines, usurariorum pacta ac conventiones, perjuria in Tribunalibus, commoda & utilitates aliorum injurijs quæsitæ, proditiones, lites injustæ, inimicitia & ecclia intestina, & ut rem verbo, servatur & protegitur omne genus iniquitatum, quibus omnibus Mendacium arma subministrat, non ad sui contra omnem assaultum defensionem tantùm, sed & ad alios offendendos idonea. *Minister cupiditatis.* En primum illum peccati in amplissimo illo suo Regno, non bello minùs, quam pace administrum, Mendacium. Sepiam adjunt, ubi ova pepererit, eadem sparsit arro illo suo liquore solidare. Nec alius Peccatorum mos est. Mendacijs funestos suos partus solidos reddunt, ne diffluant, & vix nati pereant.

IX. Atque hæc si ita se habent, an non Mendaces vobis videntur illi tam abominabiles: *Rebelles lumini:* dum unâ eadèmq; operâ opponunt se & resistunt lumini Naturæ, lumini Rationis, & lumini Fidei? Et tamen inter Christi etiam Sectatores tam modica hodie veritatis cura est! *Ut quid queritis Mendacium?* In eorum ignominiam Regius Propheta clamat. Nostisne, quâ re non modica hominum pars occupetur? venando Mendacia. Qui plura ceperit, præfertur alijs, & tanquam ingenij acumine præcellens laudatur; cum è diverso qui mentiendi artem non callat,

tanquam hebes & stupidus derideatur. In Mendacio spes reponitur acquirendi bona, quibus inhiatur, *Ps. 28. Posuimus Mendacium spem nostram.*

25. Mendacio ut clypeo tutos se fore confidunt, quibus gravium malorum minæ sunt intentatæ. *Mendacio protecti sumus.* Mendacio se alij jactant & mirè gloriantur, frustra prohibente Apostolo: *Nolite gloriari & Mendaces esse abversus veritatem.* Verbo, Mendacium rapidissimi instar torrentis eò usque auctum est, ut perruptis omnibus aggeribus omne solum nullo jam obice inunder, hoc est, omne humanum commercium, negotia omnia pervadat. *Maledictum & Mendacium inundaverunt.* Quia aquarum istarum cumulus usque eò nonnunquam assurgit, ut altissimos etiam montium vertices superare velle videatur: vult inquam Mendacium etiam in functionibus sanctissimis locum habere. Non intelligetis, quod dico, nisi clariùs mentem aperiã. Affero proinde, non deesse nonnullos, qui non hominibus modò, sed & Deo mentiri non erubescant: & nescio quã verecundiã inconsultã præpediri, sacris etiam arbitris culpas suas negent. *Filij scelerati in peccato committendo; semen mendax,* in confitendo. Et verò non temerè appellantur *semen mendax*, sed quòd primogentiæ eorum substantiæ partes non aliud, quàm Mendacium & falsitas esse videantur. Ejusce farinæ feminam scribit S. Cyprianus testis oculatus ita à Deo fuisse multatam. Interrogata hæc à Sacerdote de delicto

suo, negavit rotundè ejus se sibi consciam, neque vitam suam tam gravem esse, quàm aliorum suspicio præciperet: auxit hanc inpudentiam illo eodém actu, quo eam tegere cogitabat. Ausa est cum alijs ad Divinissimum Epulum accedere intrepida, confidens, ut Sanctus ait, se, ut nos ejus Ministros fefellerat; ita Deum ipsum fallere posse. Verùm Ipe suã frustrata est infelix. Dum enim cælestem dapem sumit, illa magno prodigio in cultrum versa est, & gulam miseræ inter glutendum dissecuit, sic ut non modo confestim animam exhalãrit, sed tantã etiam cruoris copiã perfussa sit, ut victimam referret in templo illo, veritatis honorum jugulãtam. Sanè quem suggestio prava eò deducit, ut mentiri illum in sacro Confessionis Tribunali non pudeat, meritò Sathanæ filius appellabitur. *O plene omni fallacia, fili Diaboli!* Cùm Dæmonem lineamentis suis tam ad vivum referat, qui ita se gerit, ut solo hoc indicio internosci possit, quòd ad eum pertineat.

X. Sed omittamus tam enormia peccata, quæ quamquam non admodum infrequentia, communia tamen non sunt. Quod in vitã Christianorum deploro, est, quòd videam, quàm latè Mendacium dominetur, sic ut pro Poenitiæ tribunalis se de illo vel Reos non agant, vel si agunt, in speciem tantùm id agant, eò progressi, ut dicere non vereantur; aliter fieri non posse, si quis inter alios in Mundo vivere velit; si vitæ ducendæ media conquirere, si vendere, si quod lucellum

Ps. 57.

4.

lucellum reportare: perinde, ac ficus Polypus servare vitam non potest absque atro illo suo liquore, ita nec homo vitam tueri possit absque Mendacijs; adeò destinato animo illa profert. *Locuti sumus de corde verba Mendacij.* Hoc errore tenebantur *14.* Mercatores duo Colonienfes, qui *Casav. 1.* cum coram sacro Judice Mendaciorum se accusassent, quibus identidem uterentur in negotijs, ab illo increpiti sunt: sed responsum is aliud non tulit, quàm: si à Mendacijs absterent, non diu pòst sibi fame pereundum. Sit hoc ita, reposuit Sacerdos; atqui haud paulò minus malum id esset, quàm ignis supplicio fraudes vestras luere. Quamquam hoc ipsorum, quod affirmatis, à vero non parum abludivit. Certos vos reddo, quòd fide bonâ & sincerè agendo lucraturi potius sitis, quàm jacturam passuri. Hac spe ac promissione animatus mercatorum uterque sanctè adpromisit, se integri anni decursu emendo, vendendòque, deliberato saltem animo, & scientem volentemque, Mendacium nullum dicturum. Et verò steterunt promissis, sed non exiguo suarum officinarum damno; cum ne medietatem quidem mercium vendidissent, quas antehac vendere consueverant. Unde ad Sacerdotem reversi, testati sunt, se porro datam fidem servare non posse, cum necessitas ab ijs Mendacia extorqueat, nisi decoquere mox ambo velint. Non oportet, excepit Presbyter, tam citò animos despondere: pergite & annum alterum, & perspicietis, quan-

tò Veritas præ Falsitate divites vos reddere possit. Dei nomine secundam vobis fortunam addico. Atque ita omnino evenit. Cum enim fama de mercatorum istorum præ ceteris sincerâ & incorruptâ fide longè latèque spargi cœpisset, tot illa emptores attraxit, ut unius spatio anni, veritatem semper locuti, plus longè lucrifecerint, quàm decem annis, cum strenuè mentiri solerent. Utinam documentum hoc & alij Christiani observarent; nã illi manifestè experirentur, quàm secundos successus. Numinis providentia veridicis indulgeat. *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Divini Spiritus effatum est. Nam etsi is subinde opes aliquas colligit, tam malè tamen parva non possunt dici, possideri; evanescent enim, & velut in fumum abeunt; aut instar montis sunt arido è sabulo erecti, quem primus ventus difflat & dissipat. *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Ad quod ipsum Ecclesiasticus alludere visus est, cum dixit: *Noli arare Mendacium adversus fratrem tuum.* Qui enim ad arandum, Mendacium adhibet, Proximum dolis circumveniendo, videtur sibi colere agrum fertilem, planèque felicem: tandem autem se in arenoso solo operam perdidisse deprehendet.

XI. Sed demus: succedant suæ Mendacibus fraudes, & opes magnas lucrentur, quodnam tandem hoc lucri genus est? Lucrum piscis est hamum glutientis; qui dum sibi egregiâ prædâ poritus videtur, subinde

Isa. 59.

14.

Casav. 1.

2. c. 37.

Prov.

12. 27.

Eccl. 7.

13.

de piscatoris se prædam factum dolenter advertit. Oprabilior proin semper erit conditio pauperis, sed sinceri, quàm divitis, & fallacis.

Prov. 19. 22. *Melior est pauper, quàm vir mendax.*
 Quòd qui credere modò non volet, creder enimverò, cùm ex Regione Mendaci, præsenri scilicet hac vitâ, translatus ad Regionem veritatis, quæ est vita futura, apertis repentè oculis manifestè cerneret, quòd fisiones & fraudes mortem animæ afferant. *Os quod mentitur, occidit animam.*

Apol. 2. XII. Primorum seculorum Christiani, qui Fidei lumine collustrati suis res omnes momentis sapienter æstimabant, ita ab omni fallitate abhorrebant, ut, S. Justino Martyre teste, mallent persecutionum tempore necem subire inter tormenta acerbissimam, quàm vitam quacunque fisione aut simulatione servare. Nobilissima & complura ejuscerei exempla afferri possent; sed ne excurram longius, unum sufficet S. Antimi, Episcopi Nicomediæ perquam celebris. Maximianus Imperator, in dirissimâ illâ vexatione, quâ omnem Ecclesiam insectabatur, viginti milites miserat, qui Virum Sanctum, tanquam præcipuum sinceræ Religionis eâ in urbe fulcrum, ad necem quærerent. Accidit autem, ut, quos dixi, milites S. Præsulis sibi ignoti aliquando ædes intrarent, & quâ ejusmodi mominum genus solet, libertate cibos sibi parari peterent. Annuit promptissime Præsul Sanctissimus, & convivium illis instruxit, quàm po-

ruit, lautissimum, ipse accumbentibus servire dignatus, eâ verborum officiorumque humanitate, ut militum animos sibi penitus devinceret nunquam per omnem vitam quemquam in se tam prompto & sincero animo beneficium expertos. Interim inter prandendum quærunt ex hospite suo milites, ecquid noverit Antimum aliquem, Christicolarum Antistitem, quem ipsi jussi sint captivum adducere ad Imperatorem, ab eo certissimò neci dandum. Ad hæc Præsul: non novi tantum hominem; sed ipse ego sum, quem quæritis: non est, quòd porrò vestigando fatigemini, en habetis, quem vultis. Attonuit milites hæc Viri Sanctissimi juncta beneficentiæ mirabilis constantia, eâque causâ unanimi consensu decreverunt redire ad Imperatorem, eique dicere, Antimum à se, quantumvis sedulò vestigatum, haud quaquam inventum: ut hac ratione vitam Viro tam in se benefico servarent. Non ita fiet, respondit Antimus, neque enim ijs, qui Christum colunt, aut mentiri, aut ut id alij faciant, suadere ullâ ratione permissum est. Eamus, eamus omnino ad Cæsarem, ego siquidem me mortuum potiùs, quàm vos Mendaces cupio: sicque eos secutus fortissimo animo, vitam subinde inter cruciatus atrocissimos posuit, ut verè se Fidelem probaret, qui, dum sacræ illi undæ affunderentur, palàm Patri Mendacij renuntiasset. Quid igitur sentendum nobis est de illis, qui propemodum Marrum adhuc ulnis gestari jam

Men-

Pf. 17. 46. Mendaces evadere incipiunt? *Erra-
verunt ab utero, locuti sunt falsa.* Nec-
esse est fateri, non esse legitimos
sanctæ Fidei partus: *Filij alieni men-
titi sunt ei.* Nec dignos nomine
Christianorum, nisi veracitatis post-
hac studio tales se probent; ut olim
Græcos inter nemo Imperator appel-
lari merebatur, nisi ritu solenni &
publico jurasset, se verum semper
dicturum: quæ ipsa etiam causa fue-
rit, cur Christus Patri æterno Fideles
suos commendans hanc potissimum
Jo. 17. 15. in ijs notam desideravit: *Pater Sancte:
sanctifica eos in veritate.*

XIII. Istud tamen addendum hic
censeo, ut, quam tradidi, doctrinam
amplius declarerem; quod non sem-
per censendus sit mentiri, qui partem
tantum veritatis aperit, partem alter-
am tacitam silentio involvit; Mercatorum
more, qui partem telæ aliquam
explicant, alteram convolutam relin-
quunt, ut res postulare videtur. Ita
Abrahamus Isaac filio suo indicavit
quidem, ire se ad sacrificandum Deo,
quam autem esset immolaturus victi-
Gen. 22. 2. mam, tacuit. *Deus providebit sibi
victimam, fili mi.* Nec tamen quis-
quam Abrahamo notam falsitatis in-
ulserit: aliud enim denique est, fal-
sum loqui, aliud non omne, quod ver-
um est, enuntiare. *Aliud est fal-
sum dicere, aliud est verum tacere.*
c. 22. 9. 2. cap. Nequis exs. An. inf. 5. Falsum nunquam, cujuscunque spe-
rati commodi causâ, proferendum
est: aded humano ab ore perperud
exulare debet: potest tamen vir fa-
piens verum dissimulare, & non ma-
nifestare illi, qui jus ex nobis quæren-

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

di non habet. *Non est licitum Men-
daciū dicere ad hoc, quod aliquis a-
lium quocunque periculo liberet, S.
Thomæ doctrina est, licet tamen ve- 2. 2. 9.
ritatem occultare prudenter sub ali- 110. ar.
qua dissimulatione.* Discriminis ratio 3. ad 3.
hæc est; quia, non mentiri, inter illa *Laym.*
præcepta est, quæ negativa dicimus, *l. 4. tr.*
& semper absq; exceptione obligant: 3. c. 13.
dicere autem verum, est inter præ- *n. 10.*
cepta Affirmativa, ac proinde est præ-
ceptum ejusmodi, quod suo tantum
tempore liget, uti & alia ejusdem ge-
neris, quæ non quovis tempore ob-
servanda sunt: unde arcana summâ
fide celanda sunt, & vel interroganti
non manifestanda: cum hæc non sint
deposita, quorum clavis alteri, quam
Domino, committi possit. *Qui fidelis
est animi, qualem esse debet quemli-
bet, celat amici commissum.* *For- Prov.
tasse ex vobis, qui quærat; quid 11. 13.*
& quomodo agendum, si impudens
aliquis & importunus nihil non agat
solicitando, instando, ut à vobis ex-
torqueat verum, quod secretum esse
oportet? huic respondeo, non unum
duntaxat esse modum, quem Pruden-
tia in ejusmodi occasionibus dicet,
habitâ ratione personæ, quæcum res
est. & attentis tam causis, quam re-
rum adjunctis singulis: non esse ta-
men promptum, dare documenta,
quæ ubique serviant & semper. Sua-
deo proinde, ut hoc in negotio assue-
scatis illius uti consilio, quem con-
scientiæ arbitrum delegeritis, qui re-
ctius vos docebit, quid hoc, quid
illo in eventu responderi, quid
non responderi conveniat, ne
erretis. *Ne dispicias narrationem*

Eclii. *Presbyterorum Sapientiam*, hortatur
 8. 9. 2. Sapiens, quoniam ab ipsis discas intel-
 lectum, & in tempore necessitatis dare
 responsum. Mirum proinde vobis
 videri non debet, si ad hos Docto-
 res, Magistrosque, rerum vestrarum
 magis gnatos, & intima vestra per-
 noscentes, recurrere vos jube-
 am.

XIV. Hoc mihi unicè cordi est,
 ne quis vestrum hinc abeat, quin se-
 cum statuat, quod magnus ille Jobus
Job. 19. *17.* ijs verbis. *Donec superest halitus in*
me, lingua mea non meditabitur Men-
dacium. Non cujusquam mali me-
 tu, non ullius boni spe patiar me
 induci ad quidquam posthac amandum
 & dicendum, quod verum non sit.

An refugitis Auditores amantissimi,
 ita decernere? audite ipsam Deum
Eclii. hoc à vobis postulantem. *Ante om-*
 37. 20. *nia opera tua verbum verax precedat*
te. Facem tibi in cunctis, quæ ope-
 raberis, veritas præferat. Sic securi
 eritis à mille præcipitiis & casibus, à
 mille sceleribus, in quæ tandem præ-
 ceptis ruit, quisquis Mendacium du-
 cem habet. *Qui loquitur Mendacia,*

Pro. 19. 2. *peribit.* Non alià de causâ tantum
 confiditis in Mendacio, quàm quia
 ipsam perspectum non habetis. De
 cetero, si attento animo rem perpen-
 dere, momentisque suis librare vel-
 letis, deprehenderetis, nihil esse ho-
 nestius, nihil magis decorum, quàm
 in omni morbo veracem esse; nihil
 deformius ac foedius, quàm fallere
 mentiendo. Quanti vos illum faci-
 tis, cui fidem jam habeat nemo?
 Mercator est, cujus bona sub hastâ

venierunt, non est qui ipsi credat.
 Et tamen huc sensim recidat necesse
 est, qui Mendacijs assueverit: pau-
 latim enim suâ se fronte produnt frau-
 des, & quantumcunque tenebras
 consectentur, coguntur clarâ in luce
 comparere. *Qui Mendacia loquitur,*
non effugiet. Quis unquam argenta-
 rius magnis opibus ditatus est, qui
 non nisi adulterinam pecuniam pa-
 lam exposuit? & tamen minore nego-
 tio istud videretur fieri posse, quàm ut
 emergat, & dignitatem constantem
 tueatur, quisquis vel in commer-
 cijs, vel in Magistratibus obtinen-
 dis, vel in quibuscunque suis
 commodis promovendis Mendacijs
 & fraudibus ut instrumento est u-
 sus. *Subvertet grando spem Men-*
dacij. Vera proinde & recta pru-
 dentia est, ubique & semper loqui ver-
 um, sed & nôsse, quando loquendum
 sit: haud aliter ac prudentis est, nun-
 quam expendere, nisi monetam ius-
 tam probatamque, & simul nôsse,
 quando & quomodo expendenda
 sit. *Qui ambulat simpliciter, ambulat*
confidenter. Neque enim is formi-
 dat, ne alius à se comparere debeat,
 haud aliter ac qui larvâ vulvum non
 contegit: cum tamen qui nequiter
 agit, tandem sit cognoscendus: *Qui*
autem depravat vias suas, manifestus
erit. Neque enim nequitie larvâ
 tam constanter tegere faciem potest,
 ut non aliquando amoveatur. Ita
 Deus monet: & nos fictis ejus fidem
 non habebimus? & tamen mentiri
 ille & fallere haud quaquam potest,
 contra quàm nos. *Impossibile est mentiri*
Deum, 18.

Deum. Fidamus proin ipsi, & firmissime statuamus servare, quod ipse iussit verbis illis suis Evangelicis: *Sicut enim sermo vester, Est, est; Non non quandoquidem, quod his abundantius est, à malo est.*

XV. Revocate in memoriam, Mendacium Dæmonis esse filiam: à malo est. Et ideo præterquam quod nequam, proditiæ, & effrons sit, insuper tam est scæda, ut si vel semel suo illam vultu contemplari liceret, repente morui concideretis, non aliter ac Ananias cum Saphirâ conjuge suâ, qui, si Doctorem aliqui rectè cor. à senferant, extincti sunt solo illo hor. Lap. in rore, quem in ipsis excitavit clara act. c. cognitio monstrosæ turpitudinis Mendacij communi consensu asserti: 5. v. 5. quamvis inter officiosa tantum Mendacia numerari debent; etsi negari non potest, quin alia quoque ejus gravitate exaggerârint.

XVI. Sed nec illud considerando præterite, cui animam vestram discrimini exponatis, dum Mendacio portam ad omnia flagitia aperitis. Frustra quæretis vitia in animo veritate unice studiose: *Præunte veritate nunquam chorus vitiorum subsociatus est.* Ut sapiens ille Philosophus rectè pronuntiavit. Unde Mendacium à vobis arcendo, omnibus etiam flagitijs aditum præcluditis.

XVII. Tandem & illud nunquam animo excidat, vos gravissimo periculo salutem vestram exponere fraudibus & Mendacijs frequentatis. Inter septem enim illa, quæ Deus odit, se-

cundo loco Salomon reponit: *Lin-Prov. guam Mendacem.* E diverso tam ca. 4. 17. ra illi est lingua verax, & cor sincerum, ut profiteatur, se illis vitam æternam beatam mercedis loco præparasse *Voluntas ejus in ijs, qui simpliciter ambulat.* Quid igitur in rem nostram dicemus, cum coram Tribunali Judicis divini, tam veritatis studiosi, sistemus? pro, quàm tunc fraudes nostræ omnes ut fumus vanescant! quàm tum oprabimus unice, linguam potius nunquam accepisse, quàm illam abusos esse ad finem, tam ab illo differentem, cujus unius causâ illa nobis concessa est! Quantus nos horror occupabit, memores, quod toto vitæ nostræ decursu instrumenta & adjutores fuerimus Diaboli, cum ipse fuerit architectus fraudum, quas nos verbis factisque struere adlaboravimus! *Fabricatores Mendacij.* Non ita posthac, Carissimi; si hætenus dileximus vanitatem & Mendacium, amemus jam Veritatem, cum hanc tam ad amissimam nobis postremo illo die exacturus sit Deus. *Veritatem requirit Dominus* Si elaborando, ut similes simus Patri Cœlesti, ejusque nos divinis propensionibus conformando, indubitata spe præcipere poterimus, quod tanquam filijs obventura sit æternæ hæreditas gloriæ per omne deinceps ævum fruendæ; quæ in ipsa æternæ veritatis visione consistit, inspecta ut est in se purissima & adeo illa non peregrino sub schemate visa, potens est ad totum videncis animum sui amore inflammandum.